

Psalmus responsorius

Ps 22, 1-3a. 3b-4. 5. 6 (Rx.: 1)

Rx. Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit.

¹ Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit:

² in páscuis viréntibus me collocávit,
super aquas quiétis edúxit me,

³ ánimam meam refécit. Rx.

Dedúxit me super sémitas iustítiae
propter nomen suum.

⁴ Nam et si ambulávero in valle umbræ mortis,
non timébo mala, quóniam tu mecum es.

Virga tua et báculus tuus,
ipsa me consoláta sunt. Rx.

⁵ Parásti in conspéctu meo mensam
advérsus eos, qui tríbulant me;
impinguásti in óleo caput meum,
et calix meus redúndat. Rx.

⁶ Etenim benígnitas et misericórdia subsequéntur me
ómnibus diébus vitæ meæ,
et inhabitábo in domo Dómini
in longitúdinem diérum. Rx.